TL XVI

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE LUMBRICIS.

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

CASPARUS COMMELIN, AMSTEL. BATAV.

Ad diem 27. Februarii, horis locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCIV.

Nobiliſſimis, Ampliſſimis ac judicii dexteritate Conſpicuis

VIRIS

D. D. CORNELIO VALKENIER,

Inclytæ Amſtelodamenſis Reipublicæ Scabinorum nuper Præſidi, Senatori Graviſſimo.

D. D. JOANNI GRAAFLAND, J. U. D.

ejuſdem Reipublicæ Scabino Præſidi æquiſſimo.

Cognatis ſuis plurimùm colendis, venerandis.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Haſce Theſes inaugurales eo, quo par eſt, animo

D. D. D.

CASPARUS COMMELIN,

Auctor & Reſp.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
LUMBRICIS.

§. I.

INter magnam morborum ſeriem, quibus genus humanum afficitur, mihi perpendenti, quem pro inaugurali Lemmate ſumerem, occurrunt Lumbrici, quibus vivus homo roditur, quorum cauſam generationem, enecationem & expulſionem tradam, ut hiſce Academiæ ritibus, quantum in me eſt ſatisfaciam, pro virili tractare conſtitui, ut & explorem, quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

§. II

§. II.

Lumbrici ſeu vermes Medicis ſunt animalcula viva in corpore genita, ibidemque variam excitantia moleſtiam. Variis autem in Locis, tum in hominibus, tum in brutis reperiuntur, uti videre eſt in *epiſtola Rhedi de inſectis pag. mihi* 199. *& in Rhuyſchii obſervatione* 64. *nec non in inſtitutionibus majoribus Sennerti enumerantis varias horum obſervationes pagin: mihi* 340 de his porro ſumus duntaxat acturi, qui in inteſtinis humanis reperiuntur.

§. III.

Tria apud Auctores Lumbricorum genera recenſentur: quidam enim, qui vulgares dicuntur, ſunt Longi, teretes & rotundi; alii vero teretes quidem, ſed exigui admodum, & maximopere homines divexant & *exercent*, *aſcarides* idcirco dicti, quorum permultos, imo millia aliquot una excretione & conglobatim evacuata teſtantur auctores, uti videre eſt *in miſcellaneis curioſis*, *anno primo*, *obſervatione* 104. ad tertium vero genus referuntur longi quidem & lati ornamentum muliebre argenteum referentes, noſtratibus dicti RIEM WURMEN, qui raro toti excernuntur, memini autem me legiſſe in praxi viri clariſſimi P: M: Lucæ Schacht Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, ac hac in Academiâ Medicinæ Proffeſſoris Longe celeberrimi, ipſum vidiſſe excretas triginta, quadraginta, imo plures horum Lumbricorum ulnas, reliquâ parte in corpore relictâ, ſunt, qui quartum genus addunt, cucurbitinum videlicet, ſed ad tertium genus illi cucurbitini referendi veniunt, nam ex illis unitis, vel ex ipſorum

rum adunatione crebra fiunt illæ tæniæ,quas dixi belgice ſonari R: W: plura ſiquis de lumbricorum generibus deſideret, adeat *Platerum parte tertiâ pag: mihi* 871. & *ſequentibus, Sennertum praxeos libro tertio, parte ſecundâ, ſect: primâ, capite quinto: Riverium capite nono libri decimi*, alioſque bene multos.

§. IV.

Nunc autem inquirendum, quænam ſit cauſa horum animalculorum, i: e: Lumbricorum, ſeu materia, ex qua hi ortum ſuum ducant, Veterum ſi inſpiciamus libros, cauſam habent in promptu, materiam ſc. viſcoſam & putridam, *Chauvin Lexicon Philoſophicum ſub titulo inſectorum. Hortius de re medica pag: mihi* 257. Videbant enim ſponte, ut opinabantur, in putreſcentibus corporibus ſæpe numero animalcula illa generari numero innumera, ex quibus præmiſſis concluſionem faciebant, eodem itaque modo in corpore humano illos generari neceſſum eſſe, tranſeat concluſio, præmiſſæ ſi valeant, quæ quantopere veritati ſunt contrariæ, invictis argumentis non tantum *Harveus*, verum etiam *Rhedus in diſſertatione ſuâ epiſtolicâ ad virum illuſtrem Carolum Dati de inſectis*: *Harderus in literis ad Strochium*, *Swammerdam*, aliique oſtenderunt.

§. V.

Duplex veteribus erat generatio, una ſimilaris, altera diſſimilaris, per ſimilarem intelligebant, cum effectus ſit ſimilis cauſæ, ut dum homo hominem canis canem, mus murem generat; per diſſimilarem, dum effectus ſit cauſæ contrarius vel diſſimilis, qualem putabant

tabant eſſe inſectorum, ranarum, aliorumque animalculorum, quorum cauſam ſolem & putredinem putabant.

§. VI.

Sed videamus nunc ex putredine Lumbricos ſeu vermes generari poſſit deduci; ex putredine ſi generentur, vel illa vis ſoli putredini competit, vel alicui extra putredinem rei, putredini ſi competat, neceſſe eſt, ut omnes ex putredine generentur, alteri cuidam rei ſi competat, itaque non putredini, & propterea illi competere falſum, ut poſtea pluribus oſtendetur. Sed putredinem ſaltem conferre ad horum productionem, ut locum & nidum commodum præbeat, in quem animalia deferant ova, ex quibus vermes ſtatim ubi nati ſunt, in hoc nido alimentum ſufficiens & nutritoni commodiſſimum inveniunt.

§. VII.

Concludimus itaque cum Rhedo multis experimentis *in epiſtola ſua de generatione inſectorum pagin: mihi* 33, 34, 35. 39. 40, *innumeriſque aliis in locis* demonſtrante inſecta omnia ortum ſuum debere ovulis â parentibus emiſſis; nil enim, ſi ab omnibus injectis liberum cuſtodiatur, etiamſi putreſcat, verminabit, ſed quam primum aeri exſponitur, h: e: inſectis liber aditus datur, verminabit poſtea, certiſſimum indicium, niſi inſecta quædam ovula, ſua deponant, animalcula nulla oritura, Nec obſtant clariſſimorum virorum objectiones, quo minus ſeſe res ita habent. Quomodo itaque animalcula ova ſua potuerint deponere intra

tra fructus, aliaſque plantarum partes, nulla reperta apertura, per quam ovula tranſire potuerint, cæteræque aliæ, que paſſim reperiuntur apud auctores & præſertim *in literis doctiſſimi viri Scrochii ad virum clariſſimum Harderum.*

§. VIII.

Sed ad hanc objectionem ut reſpondeam, ſciendum in anteceſſum diverſæ magnitudinis dari inſecta per aerem volitantia, immo etiam parva admodum, ut non niſi microſcopii ope videri poſſint, quæ inſecta parva admodum cum ſint, quid miri? quod nobis in fructibus, aliiſque plantarum partibus apertura nulla appareat, per quam ovum illud, ipſis inſectis adhuc dum minus depoſitum fuerit; quam tamen aperturam ſub nomine hiatus ingenioſe admodum demonſtrat celebris ille rerum naturalium indagator *Malpichius in libro ſuo incomparabili de anatomia plantarum pagin. mihi* 115. denique conſtat experientia ova illorum inſectorum inventa fuiſſe in ipſis plantarum partibus, in quibus poſtea ipſa inſecta inveniebantur, qualem habet *Rhedus pagin: mihi* 157. eodemque fundamento cæteræ objectiones bene conſideratæ ſponte ſua ut corruant omnes, neceſſe eſt.

§. IX.

Ut ante in macrocoſmo generatos vidimus Lumbricos ſeu vermes, eodem modo in microcoſmo i. e. in inteſtinis humanis vel alibi illos generari ex ovis certum eſſe ſtatuimus, ſive illis una cum alimentis in ventriculum & inteſtina deglutitis, vel cum aere ſali-

va:

va mixtis, ſeu alia quacunque ratione, perinde eſt, eo delatis. qualia ſunt omnia dulcia, ſaccharum, mel, caſeus, & ex iis parata alimenta, quibus maxime delectantur muſcæ, aliaque inſecta, ut quotidiana experientia iis illas delectari abunde docet, quibus dum veſcuntur, ovula ſua deponunt, quæ cum una cum alimentis commeduntur ab hominibus, quid miri? quod in illorum inteſtinis æque excludantur, quam ſi ſolis calore expoſita fuerint.

§. X.

Nec obſtat, quo minus Lumbrici, ſeu vermes in inteſtinis ex ovulis producantur, cum ſi verum ſit, quod ex ovulis generentur, illa ovula non poſſent ſufferre illam fermentationem, quæ fit in concoctione ciborum in ventriculo, quâ fermentatione illa neceſſario deberent diſtructum iri. ſed verum hoc eſſe ſi concedamus, quid utilitatis huic argumento inde reſultabit? nil prorſus, cum Lumbrici ſaltem reperiuntur in iis, qui non bene admodum concoquunt, i. e. quibus concoctio valida admodum non eſt; infantes nimirum frequentius, quam adultiores iis ſunt obnoxii; numeratur etiam hic affectus ab Hippocrate inter affectus, quibus infantes maxime ſunt obnoxii *Aphoriſm.* XXVI. *Sec.* 3. deinde aſſeveramus eos aliquando, quibus ciborum concoctio rite quidem peragitur, etiam, ſed non tam facile & frequenter, Lumbricis poſſe affici, cum ſi quædam verbi gratia, horum ovulorum copia una cum cibis per os in ventriculum ingerantur, facili quidem negotio poteſt accidere illa omnia ope fermentationis non deſtrui, ac illa ſemina plantarum, quæ, poſtquam commeſta,

con-

concocta (i. e. quæ fuerunt una cum cibo in ventriculo, cum concoqueretur) & excreta fuerant, deinde tamen ex iis exortum eſt Naſturtium aquaticum, Burſa paſtoris, uti videre eſt *in epiſtola Rolandi Sturmii.*

§. XI.

Nec illud obſtat unde nam quidam illorum tantam magnitudinem poſſint acquirere, quantam illos habere videmus; illud non ſine ratione evenire putamus, propterea quod diutius hæreant, & alimentum copioſius (chylum nimirum) acquirant, quam ſi in inteſtinis non eſſent, adeo ut copioſiore accepto alimento, nonnihil degenerent, videmus enim in regno vegetabili mutato cœlo & ſolo ſemina unius ejuſdemque plantæ à priore quaſi degenerem producere, quod familiare admodum plantis accidere, ne in iis enumerandis hæream, nemo Botanicorum inficias ibit: idemne itaque de lumbricis, eodem modo cum argumentatio procedat, ſtatuere cuipiam licebit?

§. XII.

Difficile in adultis, facile vero in infantibus cognoſcuntur, difficilius omnium cognoſcuntur Lati, niſi forſan pars eorum excernatur. Phœnomena tamen ſive ſigna, quæ illos adeſſe indicant, præcipua ſunt. Spiritus acorem quemdam referens. Tuſſis ſicca. Pruritus narium. Pavores inſomnis. Sitis ferme inextinguibilis. Modo proſtratus, modo immenſe auctus appetitus, corpore tamen contabeſcente. Dolores & tormina in ventriculo, aut inteſtinis. Tumor aut durities abdominis indies accreſcentes. Convulſiones

B &mo-

& motus convulſivi. Leucophlegmatia aut hydrops aſcites. Vermiculorum cum aliquo Levamine excretio. Alvus modo Laxior, modo adſtrictor. Febris lenta continua. Animi deliquium. Vomitus. nauſea, ſtridor dentium. In ſpecie vero aſcarides cognoſcuntur ex teneſmo, ani pruritu, cum ordinario in inteſtinis craſſis nidulantur. Non tamen in omnibus omnia hæc allata ſigna, quædam vero in his, quædam in aliis apparent, ſed quo plura horum adſunt, eo manifeſtius indicium. Plura ſiquis deſideret, adeat Foreſti obſervationes.

§. XIII.

Hic affectus periculo omnino non caret. Quemadmodum facilius cognoſcuntur in infantibus, ita quoque difficilius curantur; in adultioribus vero difficilius cognoſcuntur, & facilius curantur. plures enim paucioribus, majores minoribus deteriores ſunt; peſſimi omnium ſunt lati, propterea quod tenacius hereant & ægrius expellantur, gravium aliorum morborum, & preſertim ſuperius recitatorum, cauſſæ ſunt. inteſtina etiam quandoque ab iis perforantur, quale vidit exemplum Dolæus, *Encyclopædia medica pagina mihi* 723. & Fredricus Loſſius, *ut in actis Eruditorum Lipſienſium videre eſt anno* 1684. *pagin mihi.* 558. Sanguine conſperſi ſi dejiciantur malum, nam inteſtinorum Læſionem indicant: quo plura adſunt ſymptomata, eo difficilius curatur æger.

§. XIV.

Ad curationem itaque ut accedamus, ad ſequentes in-

indicationes attendendum eſt; quum itaque vermes toto genere ſint præter naturam, ſui remotionem indicant, quæ inſtituitur illos enecantibus & expellentibus; ſymptomata vel prævenienda vel mitiganda veniunt; ventriculus & inteſtina roboranda ſunt; denique ea victus ratio inſtituenda, quæ vermium generationi occaſionem non ſuppeditat &, ſed è diverſo prohibet.

§. XV.

Priori indicationi ut ſatisfiat, omnis generis amaricantia tum interne tum externe uſurpanda ſunt, veluti herbæ centaurium minus, abſinthium, abrotanum, tanacetum, ſcordium, dictamnus, ſabina, hypericum, cichoreum, Radices allii, zedoariæ, enulæ campanæ, diptamni albi, gentianæ, ſemina zedoariæ, ſanctonici, tanaceti, & quæ ſpecificorum nomine indigitantur, Radices graminis, corallina, mercurius dulcis, ſemen portulacæ, cornu cervi, & animalium pleraque oſſa, ſantalum citrinum, ol: abſinthii per infuſionem & diſtillationem, fel taurinum, aliorumque animalium, emplaſtrum ad Lumbricos Horſtii, cæteraque paſſim apud auctores occurrentia.

Ut & acida & valde penetrantia, ut ſpiritus ſulphuris, nitri, ſalis, vitrioli, ſuccus Limonum, elixyr proprietatis paracelſi cum acido.

Ut & oleoſa, quibus ſe permultos Lumbricis laborantes curaſſe auctor eſt Riverius.

§. XVI.

Secundæ indicationi ſatisfaciunt purgantia, qualia ſunt ſcammonium, ſenna, rhabarbarum, agaricus,

 aloes

aloes, colocynthis, & ex iis parata compoſita, ut ſyrupus cichorei cum rheo, electuarium diacarthamum, diacolocynthidos Amſtelodamenſium, ſpecies hieræ ſimplicis, pilulæ hieræ cum agarico, pilulæ de agarico, cochiæ, extractum catholicum, trochiſci alhandal, Ung: de Arthanita, ung: Muſæ ad vermes, cæteraque alia, ex quibus formulæ variæ componi poſſunt, ut decoctum, cerevisiæ medicatæ, vina medicata, tabellæ, pulveres, condita, pilulæ, Linimenta, fotus &c. pro libitu tum ægrotantis tum medici, ſequentes rotulæ delicatioribus poſſunt exhiberi.

R: Sacchari albi ℥j.
Sem: Sanctonici ℈ij.
Corallin: ppt.
Cornu cervi ppt. aa ʒß.
Ol: deſtillat: tanacet: gt. ij.
Aq: ſimplicis q. ſ.
M. F. L. A. Tabellæ.

Sit doſis harum tabellarum pro adulto ʒij. vel ʒijß. vel ʒiij. pro infante â ʒß. ad ʒj. vel ℈iv. conſideratis viribus & ætate, ſemel aut bis in hebdomade, ſiquis vero ſimul purgans deſideret, addantur diagredii gr. xxij. mercuri. dulc: gr. xi i. ſit doſis eadem.

Conditum ſiquis deſideret, ſequentis capiat, ſi pro adulto ſit, ℥iß.

R: Elec: hieræ picræ ℥ß.
cornu cervi ppt: ℈ij.
corallin: ppt.
pulv. ſem: ſanctonici aa ℈j.
ſyr. de ſucco abſinthii q. ſ.
M. F. Conditum.

Si quis maluerit pilulas ſequentes exhibeantur.

R: pilulæ hieræ cum agarico ℈j.
mercur. dulcis gr: vj.

M.

M. F. Pilulæ vij argento vel glyceris: involvendæ.

Pulvis autem ſi cuipiam arrideat, ſequentem ſimilemve capiat.

R: pulv. Rad. Zedoar.
coralliin ppt.
cornu cervi ppt. aa gr. vj.
ol. cortic. aurantior. gt. i.
M. F. Pulvis

Interim abdomen illinatur ſequenti ſimilive Linimento.

R: ung. de Arthanita ℥j. vel Muſæ ad Vermes
ol. abſinth. p. infus. ʒij.
fell. taurin. ʒijß.
pulv. colocynth. ʒj.
ol. tanaceti deſtillat. gt. vj.
M. F. Linimentum

Vel cum linteis quadruplicatis foveatur abdomen hoc ſimilive fomento.

R: herbar. Abſinthii
Scordii aa. M. i.
Rad. Zedoariæ ℥ß.
ſem. Sanctonici ʒiß.
pulp. colocynth. ℈iv.
Coquant. ex aceto forti, Colatura detur uſui.

In aſcaridibus expellendis plurimum valent enemata, quorum formulæ apud Horſtium alioſque videri poſſunt.

§. XVII.

Symptomata ut curentur, ea præſcribenda ſunt, quæ illis ſingulis competunt, quorum itaque curatio, pro ſymptomatum variatione, varia eſt.

Ventriculus & inteſtina corroborantur aromaticis & leviter adſtringentibus, qualia ſunt radices galangæ, zedoariæ, hellenii, angelicæ, cortices aurantiorum, nux moſcata, chariophylli, radices biſtortæ, pentaphylli &c.

Sit cibus facilis concoctionis & boni ſucci, amaricantibus & aromaticis mixtus; vitentur omnis generis dulcia, caſeus, fructus horarii, in genere omnia, quæ vermium generationi occaſionem poſſunt ſuppeditare; hac itaque methodo ſi ægrotus vitam inſtituat, non dubito, quin brevi loco ægrotantis ſani locum ſit accepturus.

FINIS.

CORO-

COROLLARIA.

I.

Medicum, omnium ſtirpium, ſi fieri poſſit, cognitionem habere, ſin minus earum, quibus frequenter utitur, oportet.

II.

Dari vaſa Lactea è ventriculo ad mammas tendentia rationi conſentaneum eſt.

III.

Dari vaſa Lactea in inteſtinis craſſis probabile.

IV.

Aqua deſtillata ex herbis nullum odorem exhibentibus majoris virtutis non eſt, ac ſi aqua pluvialis per ſe ſola foret deſtillata.

FINIS.